

**De fracturis ossium pelvis et de eorum certo quodam casu : dissertatio
inauguralis medico-chirurgica ... / auctor Franc. Josephus Michels.**

Contributors

Michels, Franz Josef.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Augusti Petschii, 1829.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gjnfteq>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
FRACTURIS OSSIUM PELVIS
 ET DE
EORUM CERTO QUODAM CASU.

D I S S E R T A T I O
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
 QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN
 UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA,
 UT SUMMI
 MEDICINAE ET CHIRURGIAE HONORES
 RITE SIBI DEFERANTUR,
DIE VI. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXIX.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRANC. JOSEPHUS MICHELS


ARNSBERGA - GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

*H. KNIPFER, MED. ET CHIR. DR.
 F. HAUCK, MED. ET CHIR. DD.
 E. KEMPER, MED. ET CHIR. DD.*

BEROLINI

TYPIS AUGUSTI PETSCHII.



Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b2248415>

V I R O

PERILLUSTRI EXCELLENTISSIMO

FRANCISCO EGONI LIBERO BARONI

DE FÜRSTENBERG,

BORUSSORUM REGI A CUBICULARIIS PRIMARIIS ETC.

FAUTORI MAXIMO

SUMMO

AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE

S T U D I O R U M P R I M I T I A S

S U M M A

QUA PAR EST, REVERENTIA

D. D. D.

AUCTOR.

PRO O E M I U M.

Post cursum academicum a me absolutum,
practicis laboribus per annum integrum in Nosocomio caritatis Berolinensi vacans, per hoc
tempus varios observavi, quos cum viris eruditis
communicarem, casus; in his autem unus p^{rae}-
primis mihi arrisit quem non indignum habui,
qui speciminis inauguralis existeret thema. Hic
morbi casus fracturam exhibet ossium pelvis,
quam etsi initio faustum promittere exitum vide-
retur, tamen mors secuta est. Saepe numero
id fieri solet in hujusce generis fracturis, quae
quamvis primo nullius momenti esse videantur,
tandem autem gravissima mala, aut ipsam mor-
tem producunt. Hoc nempe in omnibus frac-
turis ossium pelvis bene respiciendum est, quod,
quamquam ipsa laesio ossium jam valde perni-
ciosa est, tum praecipue ex laesione partium
earum, quas circumdant, periculum oritur.

In hunc finem memorabilem illum morbi casum adduxi, quo magis eluceat quaenam complicationes adesse possint, quin de iis suspicium adsit.

Haec habui, quae prolegomena adderem. Quod non ex theoreticis rebus desumpserim thema, excusatione opus non erit, quum nova quaedam proferre non potuerim, et ea quae jam satis nota sint, recitanda non esse, duxerim. Quo completius autem traderem opusculum, breviter de omnibus ossium pelvis fracturis disserui. Quas studiorum meorum primitias *L. B.* benigno ut excipias animo, iterum peto atque iterum.

FRACTURA OSSIS ILII.

DIAGNOSIS.

Aegroti femur moventes aut pedem pedi imponere nitentes, dolorem obtusum sentiunt in loco fracturae. Praeterea, praecipue si in superiore ossis parte fractura reperitur, manifesta tactu percipitur crepitatio, mōilitasque partis fractae, quae aut cavum abdominis versus aut extrorsum tendit. *Creve* partem cristae ilei defractam semper extrorsum deorsumque protrahi contendit; partem inferiorem nempe introrsum vergere, deorsumque propter muscularum abdominalium actionem, partem superiorem autem glutaeorum actione deorsum introrsumque vergi. Alii nullam in fractura ossis ilei dislocationem reperiri dicunt, quam *Boyard* autem semper se vidisse affirmat.

CAUSE.

Omnis violentia quadam agentes vires externae, e. g. ictus, lapsus atque torsio duo inter corpora occasionem hujuscē fracturae præbere possunt. Rarissime et quidem in morbosa tantum ossium

constitutione sola muscularum actio sufficit ad fracturas ossium efficiendas.

P R O G N O S I S.

Semper haec deducenda est, ut in omni os-sium fractura, ex variis complicationibus, quibuscum conjuncta est. Prognosis in cristae fractura faustissima esse solet, etsi non raro symptomata morbo-rum accedunt, qui vitae periculum minitent. Cum inflammationibus, contusionibus organorum abdo-minalium, cum febre continua continente, singultu, vomituritionibus, suppuratione etc. haec fractura saepe complicatur, quibus tandem et prognosis mutanda est.

C U R A T I O.

Repositio vario modo institui potest. *Boyard* hanc, valde inconvenientem, et aegroto omnino periculosam methodum praescripsit: „Regionem scilicet hypogastricam mantili circumcingit atque duobus adjuvantibus illud coangustari jubet, alias adjuvantium tumorem fere durum, quem integumenta et viscera abdominis infra ligaturam mantili compressa efficiunt, ad id latus premit, ubi ilium est fractum, qua manipulatione, ut putat, fragmenta reponuntur, inter totam curationem mantile circa costas infimas firmiter attractum maneat, ne os intus denuo vergat; porro aegrotus magis in sano latere capite natibusque sublimis, sacro vero pro-fundius cubet. Quaenam perniciosa ex hac me-hodo aegrotis oriantur, quam dolorifica haec sit,

ex actione pressionis in abdominis organa facile perspicitur. Non solum praesentia symptomata non imminuuntur, sed, ad summum usque iis perductis gradum, mortis causa affertur.

Crista introrsum versa facilime digitis reponitur, hac quidem ratione, ut femur lateris laesi superinducamus femori sano, abdominalique appropinquemus, quo fit, ut sartorius et iliacus relaxentur. In hominibus pinguiori robustiorique corpori gaudentibus, repositio peragi interdum nequit. Hoc in casu optime muscularum abdominalium actione efficitur, aegri lateri sano, pulvinari superimposito.

Retentio. Variis instrumentis ad partes fractas retinendas a *Petit*, *Creve*, *Heister*, *Duverney* inventis opus non est, quin adeo interdum noxia sunt, cum omnis in locum laesum pressio noceat, affectionesque inflammatorias augeat. Situ quieto optime regressio partium repositorum prohibetur. Complicationes secundum ipsarum indolem curantur.

FRACTURA OSSIS PUBIS ET ISCHIL.

D I A G N O S I S.

Fractura ossis pubis multo difficilior est dignotu, cum non raro fracturae signa essentialia ut dislocatio, crepitatio et mobilitas abnormis desint, quod tum praecipue fieri solet, si unus tantum alterve ossis ramus fractus est. Hisce in casibus e ratione, qua occasionales causae egerint, signisque morbi, quae sunt dolor profundus, plerumque fixus, etc.

fracturam adesse suspicari licet. Interdum, si pars fracta omnino dissoluta, actione muscularum sola ceterisque integumentis retinetur, diagnosis perspicua non est, ut ex morbi historia addita elucet. Directio fracturae ejusque numerus varii sunt. Fractura ossis pubis tactu diagnosticitur; in sexu sequiori facilius cognoscitur, cum exploratio per vaginam fieri possit.

Ramo ossis pubis, ramoque ossis ischii descendente fractis secundum *Marret* et *Dyverney* aegri mox post fracturam factam nec erecti stare nec procedere valent. Diagnosis fracturae tuberositatis ossis ischii tantis difficultatibus subjecta non est; aegroti superficie durae insidere, nec rotationem nec flectionem femoris perficere possunt, cum, qui huic functioni praesunt musculi, gemelli, quadratus femoris, semitendinosus et semimembranosus, huic parti inserantur.

Tribus in acetabulo ossibus simul fractis, diagnosis ex hisce symptomatibus, desumitur: vehementes, perdurantesque adsunt dolores, qui, si externe abdomen tangitur, acetabulum versus diriguntur, et inde ex assulis, quae adsunt, oriuntur. Aegri nec stare nec pedem movere valent; caput ossis femoris sursum trahitur, quo fit, ut extremitas justa longitudine careat; trochanteres ejusdem lateris introrsum antrorsumque, genu nec non pes extrorsum vergunt, praeterea discessus trochanteris a crista ilei lateris laesi minor est ac in latere sano.

C A U S A E.

Eaedem causae, quas in ossis ischii fractura adduximus, hic quoque valent, exempli gratia: si transvehitur quis curru valde onerato, conculcatur equo etc. Plerumque acetabuli fractura sequitur lapsus de altitudine magna, distorsionem etc., quo fit, ut caput femoris posteriorem acetabuli parietem violenter rejiciat.

P R O G N O S I S.

Hisce in casibus prognosis valde infausta. Laesiones hanc fracturam concomitantes symptoma producunt gravissima, plerumque partium genitalium functio plus minusve inhibita. Inflammatio vesicae urinariae ejusque rhesis succedunt, urina in abdominis cavum transfluit, mors sequitur. Omnium vero infaustissima prognosis in acetabuli fractura, nam plerumque mors sequitur.

C U R A T I O.

In fractura simplici omnis deligatio, omnisque machina superfluae sunt, cum in hisce locis dislocatio partium fractarum existere non possit. Si vero pars quaedam utroque fine sejuncta est, assidua irritatione vesicae urinariae caeterarumque partium mollium inflammatio laesionesque adaugentur. Hic situ aegri apto partes fractae retinendae sunt; optimus situs resupinus est, maximeque extrorsum versis cruribus lateris laesi, quo adductores, obturator externus et pectinaeus tendantur, extremitas infe-

rior in articulatione genu flectatur, quo impediatur, quo minus pars fracta semitendinosi, semimembranosi et gracilis actione extrorsum trahatur.

Tuberositate ossis ischii fracta pes extrorsum rotetur simulque crus flectatur, quo musculi relaxentur; parti interiori posteriori ossis fracti compressa adplicetur, quae retinenda est spica coxae. In acetabuli fractura femur extrorsum adducatur, et spica coxae adscendens adplicetur, quo retineatur ossis caput in acetabulo. Praeprimis complicationes respiciendae sunt, quas secundum indolem suam cures necesse est.

FRACTURA OSSIS SACRI ET COCCYGIS.

Fractura ossis sacri dignotu facilis, tum ob situm apertum, tum ob pauca, quae adsunt, integumenta. Attamen fractura haecce rarius invenitur, quod derivandum est ab ossis firmitate, figura, situ, partibusque mollibus propinquis. Plerumque fractura transversalis, rarius longitudinalis. De hujus fracturae praesentia certiores reddimur superficie et externae et internae exploratione; plerumque dislocatio introrsum adest; processus spinosi multo rarius franguntur quippe qui nimis imminuti et obtecti musculis in utroque latere positis, falsaque *Boettcher* et *Bernstein* oppugnant contendentes, sacri processus spinosi prius frangi, quam corpus vertebrae sacri. *Greve* nulla innotuit processus sacri spinosi fractura etsi sexies sacrum ipsum fractum

vidit. Ossis coccygis fractura dignotu multo difficilior, cum symptomata eadem atque in luxationibus non adsint; praeterea Creve contendit, hancce fracturam existere non posse, nisi hoc ipsum os, cum osse sacro concreverit.

C A U S A E.

Vires violentes, ictus, lapsusque in nates cruribus protensis causae remotae esse solent.

P R O G N O S I S.

Semper haec mala est propter complicationes, quae adsunt, commotio medullae spinalis periculosisima esse solet, inflammationes sequuntur, ad minimam quidem motionem dolorifcae; non raro paralysis adducitur. Quae symptomata, etsi interdum evanescunt, attamen postea carie, fistulis exortis, vitae periculum minitatur. Ossis coccygis fracti prognosis melior, interdum tamen saepius inflammatio et caries producuntur.

C U R A T I O.

Repositio. Situ apto instituto duo oleo inuncti digiti in viris per rectum, in mulieribus vero per vaginam inducantur; tum pollex superficiei externae ossis sacri imponatur et hoc modo partes fractae introrsum versae, extrorsum pressu ducantur.

Retentio. Deligationes a nonnullis laudatae aptae non sunt, quippe quae plerumque dislocationem efficiunt. Maximi momenti situs est quietus

et resupinus in osse coccygis fracto. Repositio inde per rectum aut vaginam perficitur, et curandum est, ut quotidie alvus dejiciatur, ne os repositum excretione faecium durarum e situ normali moveatur.

HISTORIA MORBI.

Godofredus N. validus operarius, viginti octo annos natus, cum in ponendo novi aedificii fundamento esset occupatus, ejus aedificii, quod erat juxta exstructum, muro suffosso atque subito corruente sinistrum ejus femur ita feritum, ut in terram collapsus, lateri dextro incumberet. Statim miser ille in nosocomium caritatis delatus. Explorazione diligenter instituta, magna quassatio apparuit musculorum antibrachii sinistri, simul cum epidermidis lateris externi excoriationibus, quibus jam magnus accesserat tumor. Magni momenti autem laesiones in sinistra pelvis parte. Praeterquam enim, quod aegrotus de doloribus a regione ossis sacri usque ad symphysin ossium pubis gravissime urgentibus questus, qui pressu facto valde adacti sunt, tota haec etiam regio intumuerat, sinistrum autem os innominatum dimidia pollicis parte inferius situm erat, quam lateris dextri, ita ut extremitas sinistra hac ex causa haud parum longior appareret. Nihil tamen minus laesio ossium nullo modo reperriri potuit, quam eo minus adesse veri simile erat, quo liberius et sine magni doloris signo femur in quamlibet regionem a medico explorante moveri

potuit; imo ipse aegrotus, flexione et adductione excepta, idem efficere valuit. Praeterea coxae articuli quoque figura, pedisque digitorum positio nullo modo immutatae erant. Quare laesio illa pro gravi partium illarum quassatione habita est; quod inferias autem partes illae osseae positae erant, ex relaxatione muscularum hujus lateris, inde a quassatione profecta, et ex sublato antagonismo muscularum lateris alterius deducendum esse, dijudicatum est. Propter haec symptomata curatio antiphlogistica instituta est. Ad internum usum aegrotus accepit:

Rec. Natri sulphur. unc. unam
Nitri depurat. drachm. duas
solve
Aquaee fontan. unc. sex
adde
Solution. Equirit. unc. dimid.
M. D. S. Omni bihorio cochlearia duo majora.

nec non partibus laesis epithemata frigida applicata sunt. Postero autem die aegrotus de gravibus dorsi atque coxae doloribus questus est, qui vero applicatis duodecim hirudinibus multum imminuti sunt. Tertio die, quum dolores iterum essent graviores, arteriarum pulsus plenior, durior atque frequentior, cutis temperies aucta, urina rubra etc. venaesectio instituta, nec non solutio Natri sulphurici continua est. Qua ratione quum aegrotus tractaretur, die octavo jam meliori fruitus est valetudine; laesarum enim partium dolores ita imminuti erant, ut libere, et doloris pene expers extremitatem mo-

vere posset. Sed in eorum locum alii modo non minus graves, modo intermittentes successerunt dolores rheumatici, quorum impetus praecipue dorsi regionem, dextrum brachium latusque invaserunt; lingua obtecta fuit muco albido subflavo, et quum de gustu amaro, pressuque in regione epigastrica quereretur aegrotus, emeticum ei porrectum est. Postero die brachii dextri dolores ad majorem vehementiam creverunt, sed hirudinum applicatione, unguenti mercurialis frictione, atque fomentationibus calidis fugati sunt. Nausea autem magis magisque aucta, et vomititiones die decimo emeticum iterum efflagitavit. Sed morbi status sequente die nihilo minus pejor redditus, dolores lateris dextri, quibus pleuritici admixti fuerunt, et praecipue in hepatis regione, vehementiores apparuerunt; arteriarum pulsus frequens coenaesthesia valde obtusa. Hac aegroti conditione inflammatoria ventris organorum affectio negari non potuit, ac licet non plane amotum esset malum externum, laesarum partium tamen doloribus omnino fere sedatis, jam ad interne aegrotantium stationem delatus est. Ubi, cum reciperetur morbi status fuit hic:

Aegrotus de doloribus questus est hypochondrii dextri, qui, si illud pressum est aucti, ad dextrum pectoris latus propagati sunt. Propriam autem dolorum sedem, et indolem aegrotus nunquam satis definite indicavit. In ventre et quidem in regione hepatis neque intumescentia, neque alia abnormitas observari potuerunt; respiratio paulo frequentior, nec raro aegrotus tussiit, cum praecipue

de lateris dextri doloribus quereretur. Facies colore fuit subflavo, lingua muco flavescente obducta, sitis ardens, arteriarum pulsus frequens, celer, parvus, suppressus, urina rubra, turbida. Quae symptomata omnia abdominis cujusdam, maxime autem hepatis inflammationem prodiderunt. Quare, quum venaesectio unciarum duodecim statim instituta esset, arteriarum pulsus majores redditi, dextrique lateris dolores imminuti sunt.

Aegroto igitur praescriptum est:

Rec. Emulsion. oleos. unc. sex

in qua solve

Magnes. sulphur. unc. unam

Syrup, albi unc.

M. D. S. Omni bihorio cochlear maj.

Venaesectione facta dolorum vehementia valde mitigata est, et per noctem dormiens modica quiete fruitus est aeger. Postero autem die, cum dolores sub costis spuriis revertissent, hirudines decem huic loco applicatae sunt quo facto aegrotus in balneum tepidum delatus est. Noctem sequentem aeger valde inquiete peregit, quippe qui doloribus spasmodicis violentis ac torquentibus angeretur, qui a dorso inde ad umbilicum transierunt; interdum alte vociferatus est. Horis matutinis sitis et calor gravissimus, totum autem abdomen, si attingeretur, maxime sensibile et dolorificum, et aliquantulum intumescens apparuit. Aegrotus subviridem et mucosam materiem evomuit, arteriarum pulsus parvus, frequens et durior. Venaesectione sesquilibrae propterea iterum instituta, meliorem pulsus

init conditionem doloresque valde mitigati sunt. Ventri deinde hirudinibus triginta applicatis, et balneo iterum adhibito calido, interne datum est:

Rec. Hydrarg. muriat. mit. gr. jj
Sacchar. albi ʒʒ

M. f. Pulv. S. omni bihorio talis sumatur dosis.

Praeterea fomentationes in abdomine adhibitae sunt. Die sequente, si attactum est abdomen, dolorum expers fuit aegrotus, nihilo minus autem torrentibus ventris doloribus excitatus, alte interdum vociferatus est. Calomelani ea ex causa opium admixtum est. Per noctem diarrhoea perniciosa exorta, qua re calomel remotum. Sed cum nihilo minus metuendum esset, ne nimis profuse alvus dejiceretur, propterea quod, aegroti vires jam valde defecissent, clyisma ex amylo paratum injectum est, ac ventri ad dolores spasmodicos et trahentes immuinuendos oleum hyoscyami cum tinctura opii immixtum, infricatum est. Sequentis diei tempore matutino vires aegroti valde defecerant, ac dolores intermittentes ab osse sacro per ventrem rapide transeuntes nondum amoti erant. Alvi fluxus autem jam minus copiosus, ut plane tolleretur clyisma ex amylo reiteratum est. Nihilominus morbus in statum redactus nervosum. Cutis et lingua siccae, sitis autem linguae siccitati non conveniens, medicris, arteriarum pulsus frequentissimus, parvus et debilis fuit. Aegroto inde infusum valerianae cum liquore cornu cervi et aliis remediis excitantibus praebitum est. Noctem deinde aeger maxime inquietam, interdum delirans peregit, sub vesperem

omnia febris nervosae symptomata aucta sunt, cutis aridissima, itemque lingua, quae una cuin labiis crusta obiecta fuit subfuscata; arteriarum pulsus frequens, parvus, debilis, mollis; aeger inde, postquam moschi dosin accepit, balneo impositus, ejusque pedum plantis et suris ut sinapismi applicarentur, praescriptum. Postero mane lingua quidem paulo humidior apparuit et quamquam delirium recesserat, cutis tamen adhuc aridissima fuit, viriumque summa dejectio. Paulatim cum vires deficerent, alvi fluxus colliquativus rediret, arteriarum pulsus filiformis esset, et intermittens, extremitates autem friguisserunt, sub meridiem miser decessit.

SECTIO CADAVERIS.

Obdunctione instituta, cum pectoris cavum aperatum esset, pleura pulmonibus diaphragmati et costis, in primis in latere dextro adhaesit. Pulmo uterque subflavus, materie lymphatica obiectus fuit ipsa pulmonum substantia valde rubra et sanguinis plena. Cor et pericardium praeter statum naturalem nil praebuerunt. Eodem modo abnormitates in hepate et liene fuerunt nullae. Omentum magius valde rubrum; pars superior intestinorum tractus paululum tantum inflammatum, in ilio autem omnino praevaluuit inflammatio. Pars inferior intestini crassi et praecipue S. Romanum et pars intestini recti sphacelosa fuit. Musculi psoas et iliacus maxime inflammati, partimque jam sphacelosi in-

venti sunt. Paries posterior vesicae urinariae valde rubra, substantia justo crassior, superficies attamen interior inflammatione caruit. Ramus horizontalis ossis pubis ramusque adscendens ossis ischii, eo loco, quo foramen constituant ovale, fracti erant, hac quidem ratione, ut pars inter fracturas posita facillime hinc illinc moveri posset, musculisque tantumodo retineretur. Praeterea inter os ileum et sacrum et quidem in conjunctione posteriori adfuit diastasis. Musculi in fracturae regione suppurationem inierant. In regione foraminis ovalis anteriori abcessus inventus est, ex quo inde pus ad latus acetabulum versus et deorsum in cruris sinistri musculos demissum fuit. In acetabulo ipso et ossibus cruris repertae sunt abnormitates nullae.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSI ORDINIS MEDICORUM ADJECTUM.

Ego FRANCISCUS JOSEPHUS MICHELS, Arnsbergae Guestphalorum anno MDCCCVI die VI Mensis Januarii natus, a patre FERDINANDO MICHELS et a matre e gente FUNK oriunda, cuius mortem praematuram jam annos quatuor lugeo, confessioni catholicae addictus sum. Primi litterarum elementis in scholis inferioribus imbutus, in Gymnasium quod ibi floret, receptus sum, quod per sexennium frequentavi. Anno MDCCCXXIV mense Octobri Berolinum me contuli, et inter alumnos seminarii regii medico chirurgici Friderico-Guilelmani receptus, per quadriennium, ut studium medicinae absolverem, hisce Illustr. et Cel. Virorum paelectionibus assidue interfui.

Cel. WOLFF mihi tradidit logicen et psychologiam, Illustr. LINK Botanicen et historiam naturalem. De Methodologia et Encyclopaedia medica, de anatomia cor-

poris humani universa, de anatomia organorum sensuum Illustr. RUDOLPHI, de osteologia, splanchnologia et syndesmologia Illustr. KNAPE interfui präelectionibus. Iisdem Illustr. viris arte cadavera rite dissecandi institutus sum. Physiogiam cum generalem, tum specialem Illustr. RUDOLPHI, Cel. ECK; Physicen, Chemiam et Pharmaciam Illustr. HERMBSTAEDT, et Cel. TURTE mihi tradiderunt. Frequentavi präelectiones Illustr. FR. HUFELAND de pathologia generali, de semiotice et therapia tam generali quam speciali, Illustr. HORN de pathologia speciali, de vesaniis et de morbis syphiliticis. Cel. JUENGKEN de ophthalmiatrica. Celsi de medicina libros Cel. HECKER mihi exposuit. De therapia speciali Perill. G. HUFELAND präceptor gavisus sum, nec non interfui prälectionibus Cel. OSANN de materia medica, de auxiliis in subito vitae discrimine ferendis et de fontibus medicatis.

Chirurgiam generalem, doctrinam de ossibus fractis et luxatis, fascias rite imponendi, artem disciplinamque obstetriciam theoreticam et practicam Illustr. KLUGE mihi tradidit. Illustr. RUST chirurgiam universam, Illustr. KNAPE artem formulas medicas concinnandi et anthropologiam forensem me docuerunt. Viri Illustr. DE GRAEFE, KLUGE et RUST ad cursum operationum chirurgicarum, cum disserentes, tum operationes in cadaveribus moderantes me instituerunt. Exercitationibus clinicis interfui medicis Illustr. virorum HUFELAND, BARTELS, NEUMANN, chirurgicis et ophthalmaticis Illustr. DE GRAEFE, RUST et Cel. JUENGKEN.

Studiorum cursu absoluto in nosodochio caritatis Berolinensi per annum medico chirurgi inferioris munere

functus sum. Tentamine philosophico, tentaminibus medicis et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero, fore ut dissertatione, quam conscripsi, et thesibus defensis summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur. Quibus factis, ut medico-chirurgi inferioris munera apud milites suscipiam **Coloniam Agrippinam** me conferre jussus sum.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Nullus chirurgus sine emplastro adhaesivo.

II.

Methodus luem venereum sine mercuris sanandi plane rejicienda.

III.

Psychologia physiologiae quaedam pars.

IV.

In ulceribus curandis maxime est respiciendum ad dyscrasiam.

V.

Omnia graviditatis signa, seorsim spectata, fallacia sunt.
